



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Henōtikon siue Pacificatorivm Dissecti Belgii**

**Afhakker, Aegidius**

**Vrsellis, 1618**

Capvt I. De Schismatum in Ecclesia causis & generali modo ijs occurendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64709)

## CAPVT I.

De schismatum in Ecclesia causis & generali modo  
 de ijs occurrendi.

NOTUM est concordiam in cordis seu consensu de re qualibet vnitatem consistere. Quoniam verò ob humani intellectus, tum naturæ conditione nobis inditâ, tum vel maxime peccati affectionumq; obliquitate roboratam caliginem, de omnibus penè rebus, ijs etiam quas infallibili sacrarum literarum testimonio, vulgari stylo, verbis simplicibus & apertis nostris oculis obiectas cernimus, quot *homines tot sunt sententia.* Cum itè, teste experientia, verum sit quod ait Comicus: *Omnes sibi bene esse malunt quam alteri,* & quod Apostolus, Philip. 2. *Oes qua sua sunt quarunt, non qua Iesu Christi.* Cui mirum videbitur, tot quot nostris ipsi oculis intuemur, & in Ecclesiasticis historijs legimus, in religionis negotio exortas fuisse sectas & schismata. Certè si maturo quis iudicio ista consideret dicet, ipse cum Christo Domino: *necesse est vt veniant scandala.* Mat. 18. & cum Apost. *oportet & haereses esse.* Vix enim, *or. 11.* imo ne vix quidem, attenda corruptionis humanae conditione, fieri potest vt mala isthac non eueniant. Quem enim facile reperias qui non, cum diuersa sentire ab alijs coeperit, illorum sententiam suam præferri opinionem cupiat? quem non vel paululum delectet: *Digitum morderi, & dicier: hic est,* primum tenere in sub-

T  
 sellis

*Math. 12* sellijs locum ac saluari ab hominibus; *Rab*  
*Gal. 2. 19* Paucos opinor ita esse cum Apostolo, Christo  
 6. 17 confixos cruci, vt stigmata eius in corpore  
 1. *Cor. 12.* circumferentes, nihil se scire arbitrentur, nisi  
 Iesum & hunc crucifixum.

Non abnuo plures reperiri qui promptè  
 frequenter spiritu in mortem istam ire cum  
 Domino suo affectantes, veteris Adami  
 ctas reliquias conentur excutere: qui nihil  
 minus carnis infirmitate prægrauati diligen-  
 tis sui custodiæ oculos in negligentia somni-  
 declinent, atque adeo subtilissimo vanæ glo-  
 riæ Spiritu non tantum impetitos, sed super-  
 ratos etiam victosque ipsi se deprehendant.  
 Porro non exiguum esse hominum numerum  
 qui de vitio isto superando nullum per  
 laborem suscipiunt, illorum demonstrat mor-  
 titudo, qui pessimo φιλανθίας morbo decubē-  
 tes, & excogitatæ à se opinioni mordicus in-  
 hærent, & de aliorum iudicijs suo quodam  
 præiudicio triumphum sibi debere existimant.  
 Quibus proinde vt proeliue est de re qualibet  
 oblata sententiam comminisci; ita emissam  
 semel in vulgus, si ab alio fortè solidissimam  
 tiam argumentis improbetur, retractare  
 imprudentiam lapsumque agnoscere non  
 lerando sibi fore dedecori creditur. Idcirco  
 ne vel silentio suo veritatem se non attri-  
 fateri videantur, dum gloriam ab inuicem  
 piunt, & gloriam quæ à solo Deo est non quarunt  
 parti

1. *Cor. 5. 44*

partes suas acrius conantur defendere. Atque  
 ita à primo, qui *dissensionis* est, gradu ad alterum  
*contentionis* ascenditur. Hic verborum pugnis  
 & passionibus indulgetur, omnis inicitur ratio,  
 tentatur modus quæsitis contortisque etiam  
 ex Dei verbo testimonijs, quo suscepta semel  
 sententia populo commendari, & aduersaria  
 in odium possit induci. Crescente interim in  
 hostem ira, & ex ira progenerato liuore & o-  
 dio, conscientia penitus tandem exiit; mē-  
 dacijs, falsisque criminationibus res agitur,  
 quæ, ne deprehensa auctori suo sint noxia,  
 mansuetudo nonnunquam humilitasq; Chri-  
 stiana, zelus verò frequentius Apostolicus  
 non moribus exercetur, sed verbis, & gestu  
 effingitur, *species quidem pietatis* foris osten-  
 ditur, *virtus autem eius* interius radicitus *abne-*  
*gatur*. Dūq; hoc modo in incautos vulgi ani-  
 mos aduersæ partis odium instillatur, latissi-  
 mē schismati ostium aperitur, publica tran-  
 quillitas perturbatur, seditiones, bella, & quæ  
 hinc oriuntur mala concitantur: sæpè item  
 impatiens honoris desiderium in concupisci-  
 bili, & vindictæ cupiditas in irascibili poten-  
 tia desiderium salutis extinguunt. Alij deni-  
 que profligatæ sunt ad eò conscientia, vt neu-  
 tiquam probent D E V M habere in notitia,  
 sed dum ventri, duntaxat & ijs quæ ven-  
 tricognata sunt omnem nauantes operam,  
 in D E I Ecclesia securè non permittuntur  
 T 2 degere,

degere, agnitā etiā veritatē impugnant, hereses pro libidine sua nouas excogitant, noue se sectę Patres, authoresque, quos arguere deinceps ob scelera nullus audeat, ipsi pronuntiant. Ex eo nimirum hominum genere quos Apostolus ad Rom. cap. 1. ad viuum nobis depinxit. *Repletos omni malitia, iniquitate, simulatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, cōtentione, dolo, malignitate, susurros, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbelatos, inuentores malorum, parētib; non obediētes, insipientes, incompósitos, sine affectione, abque fœdere sine misericordia.* &c. Item S. Petrus ep. 2. cap. 2. Hæ ergo causæ sunt ob quas iam inde ab Ecclesiæ exordio tot hæreses diuerse extiterint, vt ad sua vsque tēpora S. Augustinus intra primos scilicet 400. à Christi Domini ascensione annos, octoginta octo hæreses fuisse exortas testetur, easque numerat recenseat. Quinquagesimam quintam autem his verbis describit: *Aeriani ab Aerio quodam sunt nominati, qui cum esset presbyter laicis fuisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari: & in Arrianorum hæresim lapsus, pro quoque dogmata addidisse nonnulla; dicentur rare vel offerre pro mortuis oblationem non portare; nec statuta solemniter celebranda ieiunia, sed cū quisque voluerit ieiunandum videatur esse sub lege.* Dicebat etiam presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discer-

*n;* &c. Alias præterea S. Augustinus ibidem  
 recenset Manichæi aliorumque sceleratissi-  
 morum hominum adeò monstrosas hæreses,  
 vt mirum sit vllos vnquã vel ex simplicissi-  
 ma plebe in opiniones istas abduci potuisse  
 discipulos. Abducti tamen fuerunt non pau-  
 ci: quantumuis innumeris miraculis, inuicta-  
 que Martyrum constantia Catholicæ doctri-  
 næ sanctitas vbiuis terrarum innotesceret.  
 Nimirum mutabile sæper vulgus & nouita-  
 tis avidum, quod vel ob naturales quasdam  
 vnius pastoris præ alio dotes schismatico so-  
 let affectu eidẽ ita adhærescere, vt Pauli esse,  
 vel *Cepha*, vel *Apollo* potius quàm Christi glo-  
 rietur & gaudeat, cuius inconstantia popu-  
 laris perinsigne nobis aduersus semetipsum  
 exhiberi documētum permisit Christus Do-  
 minus, is scilicet qui *mitis erat & humilis cor-  
 de*, quem *de peccato nullus potuit arguere*, qui  
*erat docens. sicut potestatem habens, & non sicut  
 scriba & pharisai*, cui similiter nunquam homo  
*erat locutus*, qui *demonibus, vento, mari & qua-  
 triduo mortuis imperabat & obediebant ei*. Hic  
 (inquam) ab eisdem (plurimis saltem eorum)  
 postulatus ad crucem, à quibus sexto ante die  
 diuino quodam triumpho Rex & Messias fu-  
 erat salutatus. Quis ergo miretur, vbi falsi  
 Prophetæ surrexerint *libertatem populo pro-*  
*mittentes cum ipsi sint serui corruptionis*, in-  
 ueniri semper aliquos qui *à veritate quidem*

1. Cor. 1. 25

2. Pet. 2.

19.

2. Ti. 45

T 3

au-

2. Pet. 2.

v. 2.

auditum auertunt, ad fabulas autem conuertuntur, qui sanam doctrinam non sustinent sed sequuntur eorum luxurias per quos via veritatis blasphematur, qui schismata, seditiones & bella moluntur.

Ex his infertur primo, Hæresiarchas, sicut nisi insigni aliquo vitio imbuti vix vnquam reperti sunt; ita absque superbia & proprio sensu confidentia reperiri omnino non posse. Adeo prorsus vt sacræ scripturæ in quibusdam locis obscuritatem pro sui excusatione allegare nequaquam valeant. Ausim enim dicere sacram scripturam nulli maiorem præbere errandi occasionem quàm Christus Dominus præbebat Phariseis Matth. 15. cum diceret: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.* Cum enim ibi discipuli Domino dicerent: *quia Pharisei audito verbo hoc scandalizati sunt* insinuans Dominus se ipsis scandali occasionem non dedisse, *finite*, inquit, *illos, casi sunt in duces cacorum*, quasi diceret: Nisi Pharisei excitati odio & inuidia proni nimis essent vt verbis meis quid carpere possint, quærent facile ex circumstantijs huius locutionis verborum sensum intellexissent, vel si obcuritatem solam tantum ingenio non valuissent saltem, sicut vos modo facitis, quid ista phrasin scilicet ieiunium & temperantiam dicitur

nare, gulæ ac ebrietati laxare frena) voluerim  
 diligentius ex me quæsiuissent. Itaque sicut  
 illic Pharisæi verbis Domini sinistrum aliquẽ  
 (quem iniquus erga illum affectus suggere-  
 bat) sensum tribuerunt, ita hæretici, præiudi-  
 cata iam de religionis negotijs ac firmata for-  
 titer opinione propria, non quem ipsa Sacra  
 Scriptura offert sensum apti sunt excipere ei-  
 ue consentire, sed suum (quem credunt ab õni  
 falsitate prorsus esse liberum) saluare cupien-  
 tes, talem scripturæ verbis attribuunt sensum,  
 quem præconceptæ suæ opinionj vident non  
 repugnare; tametsi pro sensu opposito & ver-  
 ba & circûstatiæ omnes sint apertissimę. Ex-  
 perientia enim docet, hæreses plerasque & fu-  
 isse & esse circa ea scripturæ testimonia, quæ  
 verbis clarissimis significationem habent a-  
 pertissimam. Quid enim clarius, quid simpli-  
 cius, quid apertius dici potest, quàm: *Hoc est  
 corpus meum?* Et tamen contra apertissimum,  
 simplicissimum, & nulli non obuium verbo-  
 rum horũ sensum summe Deus! quot hæreses?  
 quot sensus tropici, quot figuratiui, quot ob-  
 scuri, exotici, & labore magno ex omnibus &  
 singulis istis verbis leguntur extorti? Quid cau-  
 sæ? An verborum obscuritas? Nullatenus: cla-  
 riora enim verba quis excogitet? An sensuum  
 diuersitas? Ea si hic sit, in quam scri-  
 pturæ propositione non erit? saltem vnus

est obuius, quem verba subministrant  
 Cur à multis iste reijcitur? Cur; nisi qui  
 verus non esse, non ex verbis ipsis, sed hu-  
 mano cerebro iudicatur? Sic de SS. Trinitate  
 de Incarnatione Verbi, de valore Sacramen-  
 torum quidquid in scriptura verbis simplici-  
 bus exprimitur, si carni & sanguini displicet  
 mox verbis sensus ingeritur, non autem  
 verba offerunt, acceptatur. Si eo omnes an-  
 te ad scripturas accederent, vt tanquam pau-  
 uuli & omni diuinæ vertitatis cognitione de-  
 stituti, Spiritum Sanctū mirabilia & inscruta-  
 bilia diuinæ sapientiæ cōsilia loquētē attēde-  
 rēt, parati captiuo intellectu omnia quæ dice-  
 rētur credere, nihil discutere; parati Dei volū-  
 tatē discere, nihil prorsus de sua reseruare: du-  
 biū nō est quin verū esse sentirent quod dixit  
 Dominus Ioan. 7. 17. *Si quis voluerit voluntatē  
 eius (patris) facere, cognoscet de doctrina  
 ex Deo sit.* Facile, inquam, intelligerent, quia  
 in multis locis, quæ nunc à varijs ita torquentur,  
 genuinus sit verborum sensus; an proprius  
 us, an verò Metaphoricus; vel certe sicubi non  
 satis, quid diuina illa maiestas verbis quibus-  
 dam Sponsæ suæ Ecclesiæ reueciare voluerit  
 quispiam per sese dispiceret; saltē quos eiden-  
 suæ Sponsæ posuit Deus Pastores & Doctores  
 ad consummationem sanctorum, in opus ministrandi  
 in adificationem corporis Christi, ex eadem scrip-  
 tura sufficienter intelligeret: atque ita quomodo

Eph. 1  
 4. 11.

modo ab omni errore liber esse posset, remedium sufficiens (nisi Deus tali homini de futuro timeatur) haberet.

Secundò facilè etiã ex dictis colligitur dissensionum quadam diuersitas: sunt enim quidam in plebe, qui ex sola veritatis ignorantia vni litigantium doctorum parti, veritatis quadam specie seducti, assensum simplicem præbuerunt? nullam interim habentes in animo aduersus veritatem voluntatis aut affectuum auersionem; adeoque vbi quid sanior pars sentiat intellexerint, facile sententiam mutaturi. Alij sũt verò qui proprij sensus superbo quodam amore excæcati, etiam manifesta veritate conuicti, fraudem sibi factam existimãt: adeo quod ex stultissimo cerebro hauserunt à Spiritu sancto reuelatum esse pertinacissimè opinantes: vt licet totus omnino mundus, docti pariter & indocti contrarium pro vero teneant, ipsi tamen (etiam non habentes quod obiectis argumentis respondeant) omnes alios in errore versari firmissimè penes se statuunt. Hoc solú ex Euangelio occi-

Matth.  
II. 25.

*ra, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis.* Equidem inueniri posse huiusmodi homines non credidissem, nisi ipse per experientiam tales eosque politice bonos ciues non paucos esse didicissem. De his propriè intelligendum existimo quod

T 5

dixit

dixit Apostolus ad Titum 3. 10. *Hereticum hominem post vnam aut secundam correptionem deuita; sciens quia subuersus est.* Denique sunt illi qui grauissimo peccato in Spiritum sanctum peccantes agnitam veritatem impugnant; ea solum fine, vt securè libidini suæ aut ambitioni studere valeant, prudentes ac data operam animarum cum diabolo latrocinia perpetrantes. Nos vt, quomodo his omnibus occurrere possit, innotescat; hanc statuamus positionem primam:

Mala est omnis sensuum aut iudiciorum inter Christianos de fide aut moribus discrepantia; adeoque quantum possibile est, vitanda atque vbi orta fuerit tollenda. Patet hoc præsertim ex diligenti Apostoli Pauli studio, quo fideles toties admonuit: *vt vnum dicerent omnes, id ipsum saperent, in vno sensu & eadem sententia vt vnanimis vno ore honorificarent Deum.* 1. Cor. 110. Rom. 15. 6. Philip. 2. & 4. & c. Ex quibus locis etiam duplex huius malitiæ causa intelligitur: prima scilicet, quia per dissensionem veritas, quæ vna est, violatur: cum enim duarum pugnantium sententiarum vtraque vera esse non possit, oportet vt altera ita dissidentium à veritate deuiet. Secunda causa est: quia ex dissentionibus oriuntur schismata, id est, animorum antea in mutua communiōe (instar membrorum in vno corpore) vnitōrum separationes; ita vt

mutuo pro fratribus & commembris in corpore Christi quod est Ecclesia, non agnoscant.

Quicumque verò ita se separant ab ijs penes quos est veritas, illi de facto recedunt ab Ecclesia Christi extra quam non est expectanda salus ulli omnino hominum. Christus enim caput Ecclesiae, gratiam extra corpus suum non influit. Hinc altera sequitur talis conclusio:

Nulla in Ecclesia toleranda est doctrina, quae vel notabiliter veritatem laedit, vel (quantumvis exiguum errorem contineat) schismatis inter fideles occasionem praebet.

Patet ex magnitudine mali, quod inde Ecclesiae oritur; quae per manifestè falsam doctrinam à salutis via abducitur, & infidelium blasphemijs obnoxia redditur; per schisma verò, ex vna saltem sui parte prorsus à capite suo Christo diuellitur. Adeoque sicut huiusmodi doctrinae discrepantia Christi Ecclesiae est exitialis; ita ei opposita doctrinae unitas & concordia vel ad Ecclesiae naturam & essentiam pertinet; vel saltem inter condiciones sine quibus Ecclesia non potest consistere est adnumeranda.

Hinc euidenter deducitur ea ineunda pacis remedia, quae ad doctrinae unitatem prognerandam non faciunt, fucata esse & falsa, eosque qui generales *idem* diuerso sensu *dicendi* formulas comminiscuntur (quales supra Adolphum Venatorem & P. Moli-

neum

neum vidimus) vnitatis falso nomine phalaratam discordiã, hæreses & schismata incantata plebeculæ diuendere. Videlicet, degeneret animos timor arguit: qui exterioris quietis qua fruïtur potius quam vtantur) capti dulcedine, veritatis salutisq; perpetuæ pati malunt dispendium, quam damnatis reiectisque blasphemis erroribus, momentaneæ breuissimæ persecutionis sustinere tribulationem. Miseri profecto politici, qui dum cælum cum terra commutare decernunt, nunquam quam tanti faciunt, pacem consequuntur. Quantumvis enim pacis concordiaque vocabulo velata tecta que fuerit sensuum discrepãtia, suis tamen ipsa patronis & fautoribus in neruū non aliquando erumpere non potest.

Hoc ergo nobis inquirendum est, quam ratione exortæ in Ecclesia Dei de religionis controuersia (præsertim si eiusmodi sint que prædicta secum incommoda conferant) ita possint terminari, vt omnes idem loquantur *in vno sensu & in eadem sententia* hoc est, vt ad vnam veritatem omnes fideles consensum præbeant. Ac primò quidem nulli dubium est, quin Deus omnipotēs ita in Ecclesia sua omnes Sancti Spiritus vnctione absque omni alio medio erudire ac mouere potuerit, vt singulis reuelata veritate, nemo ab altero esset dissensus. Quoniam verò hoc Dei consilium non fuisse luce clarius experientia euin-

cit; Doctoribus enim & pastoribus iisque ho-  
minibus in Ecclesia locum esse voluit: tale no-  
bis quærendum est vnitatis doctrinæ reme-  
diū, quod & diuina nobis dispensatione sit  
concessum, & ex natura sua ad *dogmativ* ge-  
nerandam sit comparatum. Nec enim per ig-  
nem Deus (quanquam possit) frigus produ-  
cturus esse sperandus est, nec calorem per a-  
quam, nisi fortè id se esse facturum contra cō-  
munē rerum naturam ipse promiserit.

Porro quidem verè docuit V Vilhelmus  
Teelingius, pro generali pacis concordiaque  
remedio virtutis studium ac pietatis exerci-  
tia omnibus modis in Ecclesia Dei virgenda  
esse, vt videlicet hoc modo Deus placatus  
grauissimam suam hæreseos pœnā à populo  
suo longè remoueat, vt item vitiosi affectus  
(qui periculosa secum solent trahere de cre-  
dendis præiudicia) per studiosæ vitæ assuetu-  
dinem ex hominum (Theologorum præser-  
tim) pectoribus eradicentur. Cum enim *qualis*  
*quisq; est, talis ipsi plerumq; res videatur*, fieri vix  
potest vt non facile quis falsum id esse existi-  
mer, à quo ipse affectu sinistro auersus iam fu-  
erat. Verùm cum prudens nemo sperauerit, ita  
posse totam Ecclesiam aut quamlibet in ea  
Republicā à vitiorum scabie repurgari, vt  
nulli omnino mali bonis vmquam permisti  
maneant: cum item ad Ecclesiæ suæ vigiles à  
sordidiæ somno retrahendos, omnibus penè  
facu-

sæculis veritatis hostibus Deus, vt eos exerce-  
rent, permiserit; particulare aliud querendū  
est medium, quo & errantibus certa veritas  
demonstretur & improbis, quo minus turba-  
re Ecclesiam valeant obex præualidus obij-  
ciatur.

## CAPVT II.

*Opus esse controuersiarum Iudice.*

**D**ico breuiter: Ad finiendas religionis cō-  
trouersias opus est sententia definitiua,  
qua vna repugnantium sententiarum tanquam  
falsa reijciatur, altera verò pro vera approbe-  
tur, ita vt hæc sententia vtrique contendentiū  
parti sit regula cui conformare intellectum  
suum debeant. Hęc propositio, præterquam  
quod, ipsa teste experienciâ, etiam inter ma-  
xima doctissimorum Theologorum ingenia  
locum habeat (horum enim quisque dū pro-  
prium ingenij lumen aut priuatum spiritum  
sententiæ suæ normam statuit, ut quam diu  
sectas pugnantisque opiniones alter ab al-  
tero non recedit?) absque omni controuersia  
necessaria esse conuincitur pro ijs, quibus  
diudicandam per semetipfos veritatem de-  
betina non suppetunt. Nunquid enim omnes Doctores  
& nunquid omnes interpretantur? Certe longè  
max

*Vid. part.  
1 pag. 28*

*1. Corint.  
12, 19.*